



RESERVADD

4596

B. N. L.

DEPLORATIO

Consolationi admista.

Da livraria publica do Coll. de S. Jeron. Lisboa

IN MORTEM

41633

FERDINANDI MENESII.

ARCHIEPISCOPI

VLYSSIPPO-

NENSIS.

*Ad sacrum & venerabile Canonicorum
Ulyssipponensium collegium.*

Iacobo Teuio Doctore, &
Canonico Authore.



VLYSSIPPONE.

Apud Ioannem Barrerium.

M. D. LXIII.



3c.
5c.
COMPR
Sacro ac venerabili Vlyssipponensium

236246 Canoniorum collegio.

Jacobus Teuius.

S. P. D.



RES
4596

QVEM AD MODUM pater lenissimus
liberos suos amplectitur, ita Fernādus Me-
nesius Archiepiscopus & patrēs vester vos di-
lexit. Quod ille cum per omnē vitæ cursum, tum vel
maxime in morte declaravit, se enim totū suo collegio
tradidit, singulosque moriens animæ suæ liberos appel-
lauit. Vos item sincero huic amori semper, sed præfer-
tim ad illius extremum vitæ tempus summa pietate &
obseruantia respondistis. Quapropter tantæ charitatis
ac benevolentia testimonium in lucem edere statui, vt
omnibus, si fieri possit, huius mutua pietatis tam præ-
clarum exemplum proponatur, memoriaque præstan-
tissimi Archiepiscopi æternitate dignissima, cui summa
omnia debemus, pro nostra virili parte literarum mu-
nimentis cōseruetur. His etiam addo, quod me vobis
in hoc officij genere gratificatū iri minime dubito, quæ-
admodum in cæteris rebus efficiam, quas vobis cordi
esse, aut non ingratas fore existimauero. Valet.

Errata sic emendato.

Folio. 3. pagina. 2. versu. 23. lege oppleta. fol. 4. ver. 16. l. aliã. e. f. v.
26. l. parua. fo. 5. ver. 19. l. Ante. e. f. p. 2. l. voluere. f. 6. p. 2. ver. 5. l.
cœlū. fo. 7. p. 2. ver. 5. l. vestra. fol. 9. ver. 20. l. ore. e. f. p. 2. ver. 20. l.
Qnin.



VN Quam adeo abrepti
crudeli in funere patris
Luxerunt nati, viuo quibus
vna salutis.

Stabat, & amisso spes deple-
rata iacebat.

Nunquam infelices, tot mæ-
sto à pectore questus,

Tot miseri gemitus, ac tot lamenta dederunt,
Quot modo vos chari, fidissima pectora, fratres
Tanti obitu patris, Fernandi in morte dedistis,
Patrem alij deflent terreno corpore nati,
Illius vos mente sati, vos pectore sancto
Progeniti, patrem vobis lugetis ademptum.
Sed quo cœlestis fragili mens corpore præstat,
Iustior hoc fateor vobis est causa dolendi,
Iustior ingentis luctus, planctusque supremi.
Utque fuit vobis causa hæc iustissima, nulla
Qua potuit maior longo contingere seculo,
Sic nulli gemitus, lamentaque nulla fuerunt
His paria, ingentes sublatis ad sidera planctus,
Ac graua ex imo suspiria pectore missa
Omnia miscebant, lachrimæ sic ora rigabant
Implebantque sinus, nemo vt grauitatis haberet
Ætatisq; suæ rationem, quisque gemebat
Sic sua damna senum (quibus vt constantia maior,

A ij Sic

Sic cerebri humor abest, oculis nec appetit iber)

Vt teneri pueri sublata matre queruntur.

De me ipso vt fatear, cui iam prouectior ætas
Lustra decem numerat, cui nec tam mobile pectus,

Dimissusq; animus, rerum quem plurimus vsus
Sanctaq; firmarunt doctorum scripta virorum.

Ingenue vt fatear mihi nunquam tale putavi

Posse quidem accidere, vt tantos cõpescere questus

Atque aliquem tantis lachrimis imponere finem

Non possem, tantosq; animi cohibere dolores

Fletibus admistos, quos atra ac moesta iuuabat

Augebatq; dies, cæcæ vna simillima nocti,

Tum veluti clausus densis in nubibus æther

Moerenti similis latuit, penitusque retraxit

Prospectum ex oculis, immensi signa doloris.

Talis erat cœli facies, tam tristis imago

Obductis tenebris, nobiscum vt machina mundi

Flere videretur, nobiscum regia cœli

Triste queri letum, triste & miserabile funus.

Vt lachrimarũ imbres fundebãt lumina passim,

Sic tetra obductum largos caligine cœlum

Mittebat fletus, lugebant omnia sanctum

Pastorem, charum lugebant omnia patrem.

Egregium pietate patrem, qui mollia gratis

Crustula virtutum natis dabat. Ac pia mater

Vt niueo & puro lacte vbera plena ministrat,

Filio.

3

Filiolis, sic puro animi candore fouebat
Ille suos. Pastor velut in viridantia prata,
Irriguosq; gregem campos, & pascua læta
Ducit, ita ille suas ducebat mitior agnis
Pastor oues, liquidos vndanti gurgite in amnes,

Et sacras pietatis aquas, & pura fluenta,
Nec non æthereo florentia gramine prata,
Sacraq; nectareo exundantia flumina lacte.

Parte vna, ast alia placido fluitantia melle,

Talia peruigili quærebat pascua cura,
Queis aberant spinæ, sentes, tribuliq; molesti,
Nec sane herba nocens pecori, nec dira cicuta,
Sed prope conspicui fontes, riuuq; fluebant,
Queis explere sitim, placido queis corpora somno
Tegmine sub grato fagi saturata fouere
Posset, & optatam fessis præbere quietem.

Hunc sibi pastorem grex deplorabat ademptū,
Actalesimo iactabat pectore questus,
Talis erat plangor, tales mæsto ore querelas
Fundebat, quibus infensus resonabat Olympus.

Vox populi clamantis erat. Cur optime pastor
Palantes sic linqvis oues, tuæ gaudia summa,
Deferis infelix pecus, & miserabile ouile,
Quod modo te felix, quod te præsentem beatum
Extitit, infelix te discedente manebit.

Num satius nos extremos adijisse labores,

Ac perijsse fuit? Nos te uiuente beate
Viximus, extincto vel cæde immanius atra
Tormentum luctusque graues, tristesque ruinas
Vita infesta dabit, nostra hæc si vita vocari
Te sine vita potest, cæde inquam immanior omni.

Quis modo paupib⁹, quis nunc succurret egenis,
Aut quis nunc inopes, aut quis solabitur egros,
Quis modo pupilos, viduas quis pascet egentes,
Quis mæstis solamen erit, fessis que leuamen,
Qua sassis ratibus quis portus & aura relicta,
Quæ miseris requies, quæ nunc solatia restant?

O infausta dies, supero si missus ab axe
Esque datus terris, lapsis succurrere rebus.
Et miseris posses, cur nunc moderator Olympi
Magne fator rerum, nobis cur eripis illum,
Rectorem, sæuis cum tempestatibus æquor
Miscetur, motisque auster ferus incubat undis
Nocte intempesta, nobis cur eripis illum
Quem pulchrum terris sydus felixq; dedisti?

Sed tua summa illum pietas, clementia summa
Largita est summum, non enarrabile munus.
At rapuit nobis nostrum scelus, omnibus illum
Vita appleta malis, nostra illum vita peremit,
Nostra graues fateor meruerunt crimina pœnas.
Sed poteras alio tantas punire flagello
Tu culpas, verum sic irritauimus iras.

Chri-

Christe tuas, summis summa ut tormenta rependat
Criminibus, quod nā meditari aut quærere maius
Supplicium poterat? vno bona vulnere cuncta
Nostra ruunt, cū illo pariter spes nostra sepulta est.
Nostra iacent cum illo sub eodem gaudia saxo.
Nostra quies, dulcisque salus, solatia nostra.
Omnia læta vno modo sunt tumultata sepulchro.

Quos ille est rebus non consolatus iniquis.
Aut quorum lachrimas lachrimis non auxit amicis
Ingemuitque malis? (vni cuncta incōmoda sentit
Membrorum caput, & rebus torquetur acerbis)
Sic mala nostra pius, sic nostra incommoda sensit.

Ille quia ē media plebe vnus, pauper & æger
Atque ope dignus erat, nec erat quo tēdere posset.
Hoc nisi præsidium, certamque requireret arcem.
Ille aliam ob causam, gratum solamen in illo,
Rebus & afflictis tutum inueniebat asyllum.

Nemo vnquam illius conspectu mestus abiit.
Non factō aut verbo quisquam exagitatus amaro.

Tam facilis, tam blāduserat, tam plenus amorū,
Vndique dispergunt preciosa ut aromata odores,
Ille sui placidos sic effundebat amores.

Tamque fuit gratus cunctis, & amabilis vnus,
Quam flagranti animo cunctos ac mente fouebat.

Omniibus ille fuit tutor, patronus, amicus
Pauca loquor, pater ille fuit, pater optimus ille,

Quam vigili cultos animo seruaui ouile,
Heu talis pastor, superas ad luminis arces
Credibile est adiit, patriasque effugit ad oras.
Felix ille quidem, sed nos in sedibus imis
Deserti, obscurisque locis tetrisque lacuni
Quærimus incertum hospitium. polce o bone pastor
A patre coelesti vinculis soluamur ab istis,
Felicique tuo conspectu, atque ore fruamur.
Actecum vt terris paucos foeliciter annos
Viximus, æternum in coelis felicius æuum
Viuiamus, clari nos te duce fulgida coeli
Sidera adire iuuat, celsas quo tramite sedes
Tu pater ascendis, parili nos scandere gressu
Exemplo ante tuo docuisti. O vita molesta
Vita grauis sine te, felix tecum atque beata,
Vita erit in coelis, magni quam rector Olympi
Omnibus ostendit tua qui vestigia carpent.

Hæc populus multis perfundens fletibus ora,
Hæc lamenta dabat, nec tota nobilis vrbe,
Insignisque fuit vir claro sanguine cretus,
Aut genere obscurus, non vir, non foemina, tota
Vrbe fuit, longisque senex nemo obsitus annis,
Non puer, aut iuuenis, teneraque ætate puella,
Nec matura æui matrona, aut rebus opimis
Conspicua, aut humilis cui tecto curta supellex,
Deniq; nemo hominum populosa hac extitit vrbe,

Cōmu.

5
Communem quin deffleret, gemeretq; parentem.
Nec reor (ex illo si vera est, tempore, fama)
Nostra Itacho dū sunt hæc mœnia condita Vlyffe
Nomen Vlyssippo vnde ortū, non arbitror vnquā
Tot gemitus, tot ploratus, planctusque fuisse.
Præfulse egregij quot tristi in morte fuere.
Tum flammis incensam urbem flagrantibus vri,
Omniaque in cineres verti, mundi ve putares
Instare exitium, talis ferit æthera plangor.
Tot resonant gemitus, tātusque it clamor ad astra.
Quid memorē egregios famulos, comitesq; fideles
Quos ille in vita summo est amplexus amore,
Qui dum frigidulæ, pro more, extrema dederunt
Oscula dextræ omnes, summis clamoribus æther
Personuit, rapidoque ædes ruere impete visæ.
Quas voces tum quisque dabat, quæ verba relata
A patre promebat, quantoque flagrantia amore.
Ante omnes vestra o fratres lamenta sonabant,
Agente omnes vestri gemitus, questusq; tonabant,
Ergo humeris illum, qui vos sub pectore clausos
Gestavit viuis, defunctum morte leuatis.
Vos illum ad gelidæ portatis viscera terræ,
Qui cœlo patefecit iter, sancto que locauit
Vos folio, nisi sancta animus documenta recuset,
Nulla ergo abnuitis constanti pondera mente,
Officiūq; piū facitis, Quia fata sorores

Sic dilpenantes volueres. Sed optio vobis
Si posita hæc esset, feretro malletis in illo
Sarcina num efferri? ille animis amor insitus hæret,
Illius vt propria vitam quis morte redemptam
Forte optet, cupiatque suo pro præfule obire.
Sed vita est homini summo concessa parente.

(Lex vt ait) precibus, quæ dum deposcitur, omni
Tempore reddenda est, soluendaque debita cuique
Sunt sua; proq; alio nemo est qui soluere possit.

Defunctū ergo humeris fertis, quæ pectore viuū
Portatis, pedibusque lutum, pluuiasque ruentes
Conteritis, lachrimis quas exundantibus auget
Immensus cumulus, nec quamuis imbribus astra
Plena tument, hæud vestra tamen rorantia vincunt
Lumina, queis fluitant pleni ceu fontibus amnes
Per gremium ad sacram gemebūdi virginis ædem,
Ingentes inter gemitus, iustasque querelas
Totius populi, vero lugentis amore.

Præcipue matrum, quæ sæuis vnguibus ora
Contemerant, feriuntque genas & pectora pulsant,
Auelluntque comas, sua tristia fata gementes.

Sed quanta extremis tabulis moderatio mentis,
Omnia quam iusto libramine scripta leguntur,
Bis senis tedis, quibus est fax insuper vna
Addita, quod totidem lustrarint lumina mundū,
Expulsis tenebris, totidem sibi legit amicos.

Lux

6

Lux terris fulgens, lux coelo, emissa sereno.
His paucis facibus, corpus gestatur at ingens
Lux fulsit terris, dum nubibus æther opertus
Maneque cæcus erat, lato clarissima mundo
Lux micat, & claro nomen splendore coruscat,
Terrarum vasto orbe nitet, semperque nitebit.

Ventum erat ad sacras ædes, quas optimus ille
Conspectu ante suo pastor, vultuque benigno
Reddidit illustres tam sæpe, heu nunc sibi dempta
Luce gemunt, tristicique latent sub nube sepultæ,
Cumque illo tumulatur honos, & gloria templi,
Quo nihil hesperijs quicquam præstantius oris
Extitit, amisso in tenebris modo lumine luget.

Ecce sacerdotes sacrarij in parte suprema,
Excelsam ante aram sanctum statuere cadauer,
Diuiso hinc atque inde choro lugubri dicunt
Carmina flebilibus numeris psalmisque canentes,
Vora Deo ingeminant, manantia pectore ab imo.
Collegij princeps, virtute & sanguine clarus
Sacra facit Mendoça. Omnes longo ordine fratres
Ante ipsum capulum dispergunt thuris odores,
Nec lachrimis quisquam parcit. Dum cõtigit ergo
Ordine fors nobis, quanto mihi vulnere pectus
Trensfixit mæror, quales nostra ora rigarunt
Impletuntque sinus lachrimæ. Sed non mihi visus
Mortuus est, facies visa illa simillima viuo,

Ac statui mecum dulci illum membra sopore
Et fessum recreare animum, tanto illa nitebat
Lumine frons, mortale nihil, nil triste, nec ægrum
Præ se vt ferre animo mecum plerumque putarem.
In cœlo volitans mens corpus tale reliquit,
Vt claro ante oculos nostros splendore micaret,
Diuinæque animæ vestigia clara manerent.

Post longa tristesque preces, post sacra peracta,
Visceribus terræ corpus datur, hic nisi vera
Obstaret pietas, CHRISTI nisi sancta vetarent
Dogmata, quot se illo voluissent abdere saxo.
Luceque sublata cupiissent luce carere.

Sed patris æterni iniussu, imperioque negato
Haud abiisse licet castris, statione relicta.

Contegitur saxo corpus, nulloque paratu
Quæ fuit ante soli facies manet, Illeque cœli
(Credere vti fas est) qui nunc manet arce suprema,
Sub saxo exiguo & parua iacet abditus urna

Quid reliquum? cunctis rebus iam rite peractis
Funereque exacto, terna iam parte diei
Transacta, templo eximus, nullo ordine flentes,
Nostro etiam hærentes lateri, famulique gemetes
Torquebant crebris animos singultibus ægros.

Secreto at postquam clausus mecum ipse cubili
Expendi hanc rerum faciem, tantique doloris
Ac gemitus causas animo mecum ipse reuolui,

Consti-

Constitui o fratres similes iuuenilibus annis,
Ac teneris pueris, nos hanc traducere vitam.
Mollior ast alios mores desiderat ætas,
Grandior ista alios, nucibus colludere pulchrum,
Parque impar pueris, æuo confecta senectus
Aut matura annis, nugis intendere mentem
Si velit amentem dicas, cui publica curæ
Sacraque sunt, nil ridiculum nil traçter inane.

At mea fert ratio nucibus debere relictis,
Linquere nos etiam lachrimas, duo tempora fletus
Sint licet, aut summi dum nos tormenta parentis
Horribilemque crucem, nostra prolabe subire
Quã voluit gemimus, nostræ, aut dũ crimina vitæ
Et mala deflemus lachrimæ vt scelus omne pietur,
Offensique graues placentur numinis iræ.

Cætera qui deflet, non se bene nosse videtur,
Nec quorsum terrarum exul regione vagetur,
Discurratque hospes nouit, sua lumina claro
Affigat cœlo, secum quibus ille creatus
Sit rebus mente euoluat, quæ mera viarum,
Hospitiique huius tandem qui terminus extet.
Quid sibi vult facies in cœlum erecta, quid ardens
Corpore mens commista graui, quid lucida olympi
Sydera, quid vastum lustrans fulgentibus orbem
Sol radijs, terris quid cuncta obnoxia morti,
Æterni patris æternum descendere natum

In terras; & nostra suo lauisse cruore
Crimina, si quisquam non hæc intelligit, extra
Sepositus, nec mente capit, nec flenda requirat,
Nec quæ vera bona, aut quæ sunt cõtraria quærat.

Sed vos fratres cœlo qui uesta dicatis
Pectora, qui prorsus claro pendetis Olympo,
Et pendere iuuat, tota hæc expendite mente
Vobiscum, & fragilis vana hæc ludibria vitæ
Spernite, terrarumque imas contemnite sordes,
Æternis inhiate bonis. Quæ corporis huius
Fabrica, diuinæque animæ sit forma videtis.
Hæc æterna manet, certo illa obnoxia fato,
Quid sitis nunc quid ve eritis, quid inania profunt,
Aut terrena iuuent. quantum cœlestia ab istis
Dissideant rebus, cœlo victoria parta
Ut firma & constans, nulli est subiecta periclo,
Illa autem miseris quæ felicissima terris
Esse putant homines, pulchro esse simillima flori.
Qui nitidus mane exoritur, lapsusque cadente
Sole aret, quæ suspiciunt mortalibus oris
Mortales, nihil illa quidem admirabile habere,
Si lubeat summo cœli conferre decore.

Ut teneri pueri dono falluntur inani,
Qui poma accipiunt potius iucunda palato,
Quam multa argenti atque auri preciosa talenta,
Sic nos hæc potius terræ abiectissima dona

Eli-

Eligimus, solidisque bonis opibusque beatis
Preferimus, ficto data munera inania vultu.

8

Quã bene mortales si cuncta hæc puchra referrent
Ad rerum authorem, cui insunt pulcherrima cuncta
Cui decor ois adest, ex quo omnia pulchra redundat,
Et bona cuncta fluunt, vti manant fontibus amnes.
Huc vestros huc ferre oculos, huc lumina mentis
Erigite, his animos opibus sacrate parandis.
Vos tandem expectat merces pulcherrima cœlo,
Nec quicquã in terra est generoso pectore dignũ.

Sed quorsum hæc inquis dilecti in funere patris?
Perpetuum illius vitę spectare tenorem
Perpetuumque decet cursum, quo tramite metas
Ductus ad extremas, animamque afflarit olympo,
Quid lachrimis dignũ in vita quid morte reliquit?

Lustra decem supra vixit septena beatus.
Æterna in cœlis viuet, cur illius ergo
Assiduo ac longo deflemus funera planctu?
Longior hac detur cum vix a principe summo
Vita homini, cum mors cunctorum meta laborum
Sit data mortali, qua cœli ad limina tendit?

Non causa illius nos hæc cõmittimus inquis,
Sed nostra nos flere iuuat, quia funere iniquo
Est pater abreptus, vel patre humanior ipso.
Quis modo nos quis nos rebus solabitur ægris,
Quis modo serua bit, tensis quis proteget alis,

Et

Et veluti pulos solita pietate fouebit,
Quisue lupos abiget caulis, ad amena fluēta
Et liquidos fontes, quis nos ad pascua ducet
Fronte hilari? magni quis nunc patrimonia Petri
Aut potius C H R I S T I virtute tuebitur illa,
Atque animo infracto? recte est, non illius ergo
Damna infelices sed nostra incommoda luctu
Prosequimur. Sed quis vobis hinc fructus amici,
Vtilitas vefluit? nullo fata aspera planctu
Non lachrimis vllis, vllaq; angore mouentur.

Qui semel elapsus mortali à limine vitæ
Egreditur, reuocare gradum non amplius isthuc
Ille potest, nisi cum iudex acciuerit omnes
Summum ad iudicium, qui sunt olimq; fuerunt,
Et qui expectantur ventura ætate nepotes.
Nil iuuat ergo illum tot deplorare querelis,
Ac tanto gemitu. Nobis tam certa beatæ
Signa dedit vitæ, virtutum tramite semper
Tam recto incessit, super asq; in euit ad oras.
Eximius pastor sic charo indulfit ouili,
Officio vsque suo functus, sic tempora vitæ
Transegit terris, diuino vt more putares.
Iam tum vitam agere, atque frui cœlestibus auris.
Exigua é terris sublimi alimenta petebat
Æthere, pulchra foris species, sed corpus acutis
Ac duris intus setis, & acumine punctim

9

Acri angebatur, toto quod tempore vitæ
Nemo vnquam sensit, stimulis morte asper acutis,
Sacculus inuentus. Conuiuia lauta parabat
Pontifice a summo missis, regumq; ministris,
Ardua magnarum rerum qui iussa ferebant.
Atque hilari charos vultu excipiebat amicos,
At sæpe ad placidam ieiuno ventre quietem
Quam duris stratis capiebat lætus adibat.
Clara aqua potus erat, toto nec tempore vitæ
Vinum hausit, nunquã est expertus munera Bachi,
Oreque libauit, superis nisi sacra ministras.

Cætera quid memorem? cunctas percalluit artes,
Nec manibus quicquã egregiũ; nec acumine mētis
Perficitur, quod non norit perfectius ipse
Perficere artifice. O diuinæ industria mentis,
Iudicio mixta egregio, qui stalia fando
Exprimat? vt celeris vis sit vel maximã mentis,
Ingenijque ad sit prompti mirabile acumen,
Maturo permistum animo, rerumque sagaci
Consilio, sed Socratico vera ora relata
Dogmata quis damnet? recte qui nouerit vnum,
Et bene calluerit, recte simul omnia nosse.
Virtute aut fuerit perfecte præditus vna
Cunctorum orbe illum stipatumque omnibus esse.
Magna quidem fateor sunt hæc, maiora sed illa,
Maxima virtutum, fidei, sapientiæ, amoris

Munc.

Munera, que istoto clarissimus emicat orbe.
Que istam longo æuo, tam longa ætate refulsit,
Nemo ut eo præful senior, Christi ve sacerdos
Vixerit extremis in mensi finibus orbis.

Si pia vita fuit minimæ vix conscia labis,
Mors melior, mors Christicolæ exoptanda beato.
Iudicio exacto, summa pietate, per actis
Rite sacris, inter nostros, chara agmina, fratres
Atque alios patres, doctrinæ nomine claros,
Qui veste & voto se religionis amantes
Esse palam produnt, Fessensis episcopus inter
Hos aderat mærens, cui fors fuit aspera semper
Nunc magis aduersa est. hos inter præditus omni
Iudicio, æterni referens de morte parentis
Multa, animo extelso atque ardenti pectore in altū
Conuertens oculos, non stratis mollibus hærens
Sed cathedra residens, nec se ore aut corpore mutans,
Expirans supremo animam dedit ille parenti.

Quorsū igitur nos flere iuuat, questus ve mouere?
At superum Regi summas per soluere grates,
Nos decet, illius longum qui temporis æuum
Ore frui, suumisq; dedit virtutibus uti,
Absentis desiderium non longa feremus
Tempora, quid longū vita hæc habet? & breue filō
Quicquid id est, tenui pendet. Solatia nobis
Vera adsunt, perfecta illum nunc præma vitæ

Accipe

Accipere in fontis sydusq; illustre micare
Pontifices inter sanctos, clarissima quorum
Illuxit virtus, summo splendore coruscans.

Nūc reliquū est, crebris votis onerem⁹ Olympū,
Æternūq; Deum, noctesq; diesque precemur,
Peruigilem erranti pastorem, vt mittat ouili,
Pastorem facilem ac mitem, qui pabula quærat
Grata ouibus, quas nec spoliet nec acerbius angat.

Hæc Henrice quidem, cuius clarissima toto
Orbe viget pietas, cuius sapientia summis
Cum genere illustri Regum, virtutibus hæret,
Cui nihil, aut certe minimum est, vnus habenas
Quamuis ingentis regni clauum ve tenere.

Hæc Henrice quidem fateor tua maxima cura est,
Hoc agis, huc animi neruos intendis, & omnem
Mentē adhibes, tua quæ semper vigilantia summis
Extitit in rebus, nunc est, tu numina cœli
Sancta obtestaris, veræ pietatis amantes
Abdita despecto mundo qui claustra secuntur
Paupertatis opes qui veras esse fatentur
Id curare iubes, precibus lachrimisq; fatigent
Cœlicolum Regem, cui sunt mortalia curæ,
Tot pastorem ouibus, tantæ illum præbeat vrbi
Rectorem, cuius summa virtute regantur
Omnia, qui afflictis quærat solatia rebus.

Vir genere & factis clarus, vir sanguine princeps,

Atque

Atque animo, iustus, clemens, mansuetus, amicus
Commisissiq; gregis, vigilans, qui commoda curet
Nec proprijs studeat rebus, quem pectore clausum
Re præstas, talem spero dabis optime pastor
Pastorem nobis, nec nos spes faller inanis.

FINIS.

*Epitaphium in mortem eiusdem
Archiepiscopi.*



Ernãd^o iacet hic, regū alto sãguine clar^o
Pietate longe clarior,
Lustra decẽ & septem excessit vita, õnia
Visa tamẽ est breuis dies. (busvna

Sic dilexit oues, summus quam credidit illi
Pastor, nihil vt haberet charius.

Nec cuiquam est visus verbo factoque nocere,
Prodesse cunctis maximè.

De quo inter claros proceres quos purpura vestit
Præsentẽ summo antistite.

Tempore cum grauitẽ generent infausta q̄ esset
Fugata terris veritas,

Quidam ait occiduo populosa vrbs subiacet axi
Hespericę Vlyssippo decus

Cui præest Fernandus nulli pietate secundus.

In quo inuenitur veritas.

De quo Ioannes Rex prodidit, illius ore
Haud proditum mendacium.

Ille

Bene viuere, & mori bene.

Per similisq; fuit vitæ mors, vota piorum

Et vixit optime & periit.

Aliud.

Fernandus saxo hoc, paruaq; reconditur vrna,
Non ille, illius molliter offacubant.

Ille vbi sit referes, modo pauca audiueris hospes,

Quamuis nec multis dicere tanta licet.

Ad loca que referam si quicquam pertinet, alto

Et claro regum sanguine natus erat.

Si qua fuere olim humanæ contagia labis,

Vera loquar, fructus illa dedere pios,

Pœnituit, sed Mars pacem, tenebreque dederunt

Splendorem, quo nūc inclyta regna micant.

Illis suis ouibus que fuit gramina pastor,

Queis non herba nocens, ater & anguis erat.

Sic inopes fouit, sic est miseratus egenos,

Visceribus dicas progenuisse suis.

Publica ad exemplum fuit illustrissima vita.

Priuatam minimam labem habuisse negant.

Consilio reges, inopes pietate, potentes

Exemplo, humanum fouit amore genus.

Hoc septem atque decem lustris effecit, & istis

Mors factis similis, vel fuit his melior.

Iam tibi perspicuum satis est, iam clarius ipsa

Luce vides, maneat nunc quibus ille locis.

Nec senior illo quispiam hesperio solo
 Maiorque præsul extitit.

Nec munere alto clarior, qui præfuit
 Regis sacerdotum gregi.

Nec genere quisquam illustrior, nec moribus
 Vitaque pura sanctior.

Nec recti & æquitatis obseruantior,
 Nec sane amantior inopum.

Fernande vita, dignitate, sanguine,
 Ætate, factis inclyte.

Vt extitisti splendidum terris iubar,
 Sic emicabis æthere.

Laus Deo.

Deprecatio ad Iesum Christū ut misereatur

generis humani tot miserijs ac tot malis obnoxij,
 & vt rebus infelicibus nostri tēporis subueniat.



Omnipotens fili patris omnipotentis, & alti
 Conspicuum cæli numen, quo ex lumine cuncta
 Lumina, Solq; suis radijs ac sydera manant.

O vitæ, o lucis, cunctorum & origo bonorum,

Cunctarumq; perennis opum fons. Vnde rigatur

Machina rerum ingens, cælorum vnde astra, decorem

Accipiunt, vnde immenso gens abdita ponto

Scaminigera, ac pecudum vitam genus accipit, vnde

Cuncta lata in terris, vites frugesque fouentur,

Arborei & fœtus, vnde & placidissimus humor

Effluit, & latices & ros suauissimus exit

Vnde itidem pulchræ exundanti gurgite lymphæ,

12
Queis mites crescunt fructus, vitaque fruuntur
Omnia seu terris, seu vastis nata sub undis.

Aureus æthereo tuos descendis ab axe,
Tu pluuia exoptata venis, qua cuncta rigantur,
Cuncta nitent terris plane arida & indiga succi
Molle super vellus pluuia hæc placidissima, cælo
Descendit leni tactu. Mortalibus ægris
Tu solamen ades, vere spes vna salutis,
Per quem mors terris pulsa est, mors victa triumpho
Est ducta insigni, tenebrisque sepulta sub imis,
Tartareoque lacu iacet, æternumque iacebit,
Humanos adeo miseratus es ipse labores,
Nostra adeo ex animo sentis incommoda, vt altas
Duxeris haud magnum durumque relinquere sedes,
Atque imos penetrare lacus, tetrasque paludes
Quas homines habitant, tenebris qui noctis opacæ
Errabant cæci, quos tu, sol clare, serena
Luce illustrasti, toto qui nubila mundo
Densa excussisti, clari noua dogmata cæli
Demonstrans latis nunquam sic cognita terris.
Nec graue duxisti mortalia sumere membra,
Et similes nostris mori bundos corporis artus
Induere, atque illos truculentæ subdere morti.
Aeternam hac nobis vitam vt ratione parares
Nosque iræ natos, absortos faucibus orci
Erueres, nostroque dares pro crimine pœnas.
Immensas pœnas immenso ab amore profectas.

Nos fateor mortale genus, nos puluere nati
Vmbra sumus, nos vermiculi, nos lubrica testa
Aut si quid terris fragile est magis, omnia nobis
Conueniunt, sed opus tua nos tua dextera fecit
Cui diuinam animam, & cæli inspirauit amorem,
Nec solum in cælum erectos hac mente creasti
Sed post contractam proauita ab origine labem,
Nos precio immenso crudeli a carcere soluis,
Nosque tuo redimis captiuos sanguine, & orco
Expositam prædam, sublimi in sede reponis.

Nos

Nos genus ergo tuum, quod tu pater alme creasti,
Quodque redemisti, quod tot tantisque beasti
Muneribus, fabricata ingens cui machina mundi est,
Cuius & imperio submittis cuncta creata,
Quem genuisti unum, tua qui misteria solus
In terris nosset, coelique ad tecta subiret,
Hunc tibi sacratum, tuum opus pater optime serua.
Nostra humiles fateor curæ, & cælestium inanes
Corda agitant, imis incurua ac subdita terris,
Corda abiecta nimis, solidorum oblita bonorum,
Sed pater alme veni, nostris te cordibus almum
Infere, sanctum animis nostris infunde calorem,
Aethereumque ignem, flagrent quo pectora nostra,
Ut te, despectis rebus mortalibus unum,
Authorem rerum, moderatoremque supremum,
Ac mitem patrem verò obseruemus an: ore.
Respice nunc quantis hinc atque hinc fluctibus acti
Iactamur, quantis agitur fracta periculis.

Cimba petri quanti montes voluuntur aquarum,
Quantaq; tempestas gelida nunc prodit ab Arcto.
Gallia chara mihi quondam, cui debitor huius
Semper ero ingenij cultus, pro frugibus almis
Nunc lolium infelix, steriles nunc carpit auenas,
Hæc pater omnipotens, nostras ne serpat in oras
Pestis age, hoc nostris regnis expelle venenum.

Parte alia nobis Mauors crudele minatur
Exitium, sæuumq; ferox parat Africa bellum.
Parte alia male suada fames, & tristis egestas.
Quot mala molitur, quibus insuper addita magni
Præsulis, aut potius chari est iactura parentis.
Omnia dura quidem, sed tu pater optime duris
Semper ades, grauibusq; malis. Humana potestas
Cum deficit, tua succurrit clementia nobis.

Laus Deo.

Vice præfecti sacri officij, cuius authoritate in hac parte fungor, libere permitto Typographis Olissiponensibus præsens opus eximij doctoris Teuij typis mandare totum enim pietate, & veritate plenum est. Ferè oia, quæ narrat, oculis vidi. In cœnobio diui Dominici eiusdem ciuitatis 24. Ianuarij. 1564. F. Hieronimus Correa.



Res
4596

